

sulche guter von nymandes zcu lehen muten nach nemen, wenne von dem probiste alleyne, vnd sal dem probiste zcu lehen gelde geben von zeehen schocken eyns, als sulcher guter gewonheit ist; denne sal der probist sulche guter leihen vnd sulch lehengelt nemen von dem vflasser vnd dem annemer sulcher guter so dicke des not geschiet zcu ewigen getzeiten.

Nach einer Abschrift in den Aufzeichnungen des Klosterkämmerers Martin Kramer fol. 7<sup>b</sup> im Rathsarchiv zu Leipzig.

No. 232. 1449. 11. März.

*Kurfürst Friedrich II. ertheilt dem Ordinarius Dietrich von Buckensdorf, Besitzer des Altarlehns in der Peterskirche (vgl. No. 208), eine besondere Vergünstigung.*

Fridericus dei gratia dux Saxoniae, sacri Romani imperii archinarescallus, Thuringiae lantgravius ac marchio Misnensis universis et singulis quorum interest intererit seu interesse poterit quomodolibet in futurum gratiam et omne bonum. Exhibita nobis nuper pro parte venerabilis et egregii viri domini Theodrici de Buckensdorff utriusque iuris doctoris et almae universitatis nostrae Lipsensis facultatis iuridicae ordinarii petitio continebat, quod quondam egregius vir dominus Conradus Donekorb bonae memoriae dictae universitatis et facultatis tunc dum in humanis agebat ordinarius et unus ex testamentariis sive ultimae voluntatis quondam etiam bonae memoriae domini Nicolai Molitoris una cum suis contestamentariis sive executoribus dicti quondam Nicolai de salute animae ipsius cogitantes de bonis per eundem relictis quoddam altare perpetuum in ecclesia sancti Petri dicti opidi Lipsensis ad honorem sancti Petri sufficientibus redditibus dotatum fundaverit modis infrascriptis, videlicet quod dictus quondam Conradus dictum altare quoad usque viveret, etiam si lecturam ordinariam dictae universitatis et facultatis ex quacunque causa resignaret, libere retinere et possidere posset et post ipsius mortem nulli alteri quam ordinario facultatis supradictae pro tempore existenti et actu legenti in titulum dari et conferri deberet, quique illud durante solum ipsius lectura retinere et possidere posset et deberet, qua dimissa ex quacunque causa altare huiusmodi libere dimittere et resignare deberet et teneretur; quo sic dimisso nos tunc alium ordinarium, quem pro dictis universitate et facultate et nostri ipsius honore magis idoneum duxerimus eligendum et acceptandum, tanquam verus patronus ad dictum altare decano Merszburgensi pro tempore existenti ad instituendum praesentare deberemus, prout haec et alia in literis foundationis et dotationis altaris huiusmodi plenius dicuntur contineri. Quare pro parte dicti domini Theodrici ordinarii possessoris supradicti altaris nobis extitit humiliter supplicatum, quatenus ut dictum altare quoad vixerit etiam post supradictae lecturae ex infirmitatis seu alias quacunque causa vel quocunque modo dimissionem seu resignationem non obstante fundatione supradicta libere et licite retinere posset et valeret, consensum nostrum tanquam patronus dicti beneficii pariter et assensum ad hoc praebere et concedere dignaremur, eo attento quod supradictus Theodricus etiam post lecturae suae dimissionem moram suam atque domici-